



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De quibus dispositio. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Ioh. 10. f.

bertate fidei Catholicæ prævalente, postquam vñ
verbi sicut debuit intellecta est, homouisiō illud
catholicæ fidei sanitate longè lateq; distensum est
& diffusum. Quid enim est homouision, nisi vnus
eiusdemque substantiæ? Quid est inquam homo-

uision, nisi ego & pater vnū sumus? Non ergo inter
prophanas vocum nouitates hoc vitandum est.
*De nominibus quæ translatiuè, & per similitudinem de
Deo dicuntur.* K

Præterea sciendum est, quod in assignatio-
ne distinctionis nominū, inter alia quæ supra di-
ligenter executi sumus, quædam diximus transla-
tiuè & per similitudinem de Deo dici, vt speculū,
splendor, character, figura, & huiusmodi: de quibus
pio Lectori breuiter trado quod sentio, vt scil. ra-
tione similitudinis considerata ex causis dicendi,
dictorum intelligētiam assumat, sed catholicam.

*Nihil dignum excellentia ineffabilis Trinitatis se tradidisse
se dicit, ad alia transiturus.* L

De Sacramento vnitatis atque Trinitatis sum-
mæ & ineffabilis multa iam diximus. Nihil tamen
eius ineffabilitate dignum tradidisse profitemur,
sed potius ex nobis mirificatam eius scientiam,
nec potuisse nos ad illam.

DE QVIBVSDAM QVÆ SECVNDVM

*substantiam de Deo dicuntur, quæ specialem efflagi-
tant tractatum, scilicet de scientia, & de præscien-
tia, & prouidentia & dispositione,
prædestinatione, voluntate
& potentia.*

DISTINCT. XXXV. A

*De scientia
Dei in ge-
nerali secun-
dum se.*

CVMque supra differuerimus ac plura dixe-
rimus de his quæ communiter secundum sub-
stantiam de Deo dicuntur, eorum tamen quæ-
dam specialē efflagitant tractatum: de quib⁹ mo-
do tractādū est. i. de scientia, præscientia, prouiden-

tia

tia; dispositione, prædestinatione, voluntate, &
 potentia. Sciendum est ergo, quod sapientia vel
 Scientia Dei cum sit vna & simplex, tamen pro-
 pter varios rerum status & diuersos effectus, plu-
 ra ac diuersa sortitur nomina. Dicitur enim non
 tantum scientia, sed etiam præscientia vel prou-
 dentia: Et est Scientia siue Prouidentia nõ de fu-
 turis tãtum, sed de omnib. de bonis scil. & de ma-
 lis. Dispositio vero, de faciendis. Prædestinatio,
 de omnib. saluandis, & omnib. bonis: quibus & hic
 liberantur, & in futuro coronabuntur: Prædesti-
 nauit enim Deus ab æterno homines, ad bona e-
 ligendo & prædestinavit eis bona præparando.
 Quod homines prædestinavit, Apostolus ostendit
 dicens. Prædestinavit quos præsciuit fieri confor-
 mes imagini filii sui. Et alibi, Elegit nos ante mun-
 di constitutionem, vt essemus sancti & immacula-
 ti. Quod autem bona eis præparauerit. Propheta
 Esaias ostendit dicens. Oculus non vidit Deus abs-
 te, quæ præparasti diligentibus vel expectantibus
 te. Ergo ab æterno prædestinavit quosdam futu-
 ros bonos & beatos, id est, elegit vt essent boni &
 beati: & bona eis prædestinavit, id est, præparauit.
 Prouidentia autem est gubernandorum: quæ utiq;
 eodem modo videtur accipi, quo dispositio. In-
 terdum tamen prouidentia accipitur pro præ-
 scientia. sapientia vero vel scientia de omnibus
 est, scilicet bonis & malis, & de præscientibus,
 præteritis & futuris: & non tantum de tempora-
 libus, sed etiam de æternis. Non enim ita scit Deus
 ista temporalia, vt seipsum nesciat, sed ipse solus
 seipsum perfectè nouit: cuius scientiæ compara-
 tione omnis creature scientia imperfecta est.

*Vtrum scientia, vel præscientia, vel dispositio, vel prædestina-
 tio potuerit esse in Deo si nulla fuissent futura.* B

Hic cõsiderari oportet, Vtrũ scientia vel præsciẽ-
 tia, vel dispositio, vel prædestinatio potuerit es-
 se

Român. 8.

Ephes. 1. a
Esa. 64. b. C
1. Cor. 2. b.